

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Dionis De Regno.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

DIONIS DE REGNO.

Romæ, sine Typographi nomine 1469.

*Ad Illustrissimum & Sereniss. Dominum MAXIMILIANUM
Divi Cæsaris Friderici Tertii filium, Franciscus de Piccolomi-
neis [a] Senensis, S. Eustachii Cardinalis.*

Nihil habui, MAXIMILIANE ILLUSTRISSE, quod ad Te mitte-
rem, cum ætati tum fortunæ tuæ convenientius quam Dionis li-
bellum de Regno. Cum in primis pulcherrimum sit, cui rei na-
tus destinatusque sis, ei jam inde ab infantia prima ipsis cum annis
increfcere, ut, si fieri possit, antequam accipias Imperium, dignus Imperio
censere; glorienturque ditionis tuæ homines, non solum Principem te sibi
proprium & suum, sed etiam optimum atque moderatissimum habituros;
nec tam imperandi cupidum, quam recte imperandi studiosum videri, cum
tibi aliquando sint parituri. Leges itaque Dionem, & leges paulo ante eam
ætatem, qua is regem instituit, non ab incunabulis orsus regiam educatio-
nem, sed ab iis annis, qui non sperare duntaxat regnum possint, sed et-
iam capere. Tibi vero eo minus erit elaborandum, quod habes intra re-
giam patria atque avita monumenta iuste clementerque imperandi tuis;
& regiam moderationis rudimenta didicisti domi, ut etiam sine Dionis per-
ceptione, quidquid ad regnandi artem pertineat, ipse aut natura tua præ-
stanti, aut Divi Cæsaris parentis tui exemplo assequi potueris. Sed ea est
mea meorumque observantia in Austriæ familiam, ea beneficiorum ampli-
tudo, ut, quamquam spei plenissimum te video, addam tamen incitamen-
ti aliquid, quo vel evadere summus possis, vel hæc legens intelligas jam
evasisse. Tunc enim regium culmen, imperatoriosque numeros omnes im-
pleveris, cum Dionis præcepta naturæ tuæ, splendorique majorum adjunxeris.
Vale. Ex Urbe. Kal. Jan. M. cccc. sexagesimonono.

[a] Gnatus hic fuit ex divite *Tedeschina* Se-
nensi familia, ex sorore *Laodomia*, nepos *Æneæ*
Silvii Piccolomini, *Pii* nominis hujus Secundi,
deinde Summi Pontificis, a quo non agnomen
modo, sed insignia gentilitia accepit etiam. Fun-

cto *Alexandro VI.* ann. mcccc. Pontificiam Se-
dem tenuit vel ipse, *Pii Tertii* nomine accepto.
Seculi sui viris tum dignitate, tum eruditione
præclarissimis valde se addixit.

Ejusdem ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.

Inter omnes rerum Scriptores, NICOLAE V. PONTIFEX MAXIME, qui
jussu tuo in Romanum vertuntur sermonem, nullum ego Principi nec
apertorem, nec magis necessarium puto, quam Dionem hunc Prusensem,
quem ego nuper interpretatus sum. Scribit enim de Regno, idest de rebus
iis, quæ ad principem instituendum pertinent; & omnes fere conditiones
colligit atque comprehendit, quas optimus Princeps habere debet, & copio-
se & accurate. Par enim est, hominem diligentem & acutum, qui multum
terræ peragravit, & diu peregrinatus est, multa vidisse, multa nosse, & im-
perandi rationem perspexisse: maxime cum Trajano Imperatori familiaris
fuerit, adeo ut sæpe cum eo in eodem curru veheretur. Par est etiam, ma-
ximum Philosophum & sophistam multos ex antiquis philosophis perlegisse,
qui